

Lugdunensem, in ea Italiae parte, quae olim Insubria, nunc Longobardia nominatur, vicinoque huic Pedemontio, divinitus conservatam, & ad posteros propagatam fuisse. Addo *Aeneam Sylvium* in ipsa Husfitarum, quibuscum Waldenses comparat, tempora incidisse, ac postmodum Pontificem Rom. sub nomine *Pii II.* creatum fuisse. Quem uti falli posse Pontificii negant, ita, quin hac etiam in parte vera illum scripsisse fateantur, declinare non poterunt. Conf. *D. Aeg. Strauchius de Waldensibus & Hesterberg. de Eccl. Waldens. nec non Magnif. Dn. D. Fechtius in Hist. Colloqu. Emmending. p. 305.*

§. XXVI. Imo vero III.) Pontificios ad suam ipsorum Ecclesiam h. e. Romanam, & Occidentalem remittimus. Fuit enim in mediis etiam Papatus tenebris Ecclesia Romana vera Ecclesia, si vera opponatur nulli. Non enim nulla, sed utique aliqua fuit Ecclesia in Occidente, & apud Latinos. Semen enim Ecclesiae sunt verbum & sacramenta, quorum efficacia & vis uti a nulla hominum intentione, aut consilio, aut conditione & qualitate dependet, ita fieri non potest quin ubicunque semen illud spargitur inter homines, quaedam Dei Ecclesia, & coetus vocatorum nascatur. Jam vero in medio etiam Papatu aliquod Dei verbum superfuit, praelecti sunt populo textus dominicales in templo, inculcatus fuit Decalogus in Scholis, juxta & Symbolum Apostolicum, asvesfacti sunt homines ad Orationem dominicam, & multi sibi t. t. breviusculas quidem, sed nervosas tamen, & aptas composuerunt precandi formulas, quibus animae suae salutem Deo ardentissime commendarunt. Tempore Quadragesimarum non modo praelecta, sed & acta fuit passio Servatoris, & quasi ante oculos Christus cum suis meritis pictus. Dispensatus quoque fuit Baptismus, multis quidem, ac saepe ineptis, ritibus maculatus, veruntamen, *qua substantiam integer.*